

Habebatque Mephiboseth filium paruum nomine Micha, omnis vero cognatio. Iuxta hebræum habetur. & omnis habitatio. hoc est omnes habitantes tam filii quam serui &c. domus Ziba serui erant Mephiboseth. Et Mephiboseth manebat in Ierusalē, quia ipse super mensam regis semper comedebat: & erat claudus viroque pede.

CAP. X.



Actum est autem post hæc. Legendum est. Et fuit post sic mortuus est rex filiorum Hammon. Significatur autem ordo tēporis inter beneficiū exhibitū filio Ionathæ & mortem regis Hammonitarum & non significatur ordo tēporis inter mortem regis Hammonitarū & res gestas & scriptas in capitulo octauo: quoniam ibi summarie per capita collecta sunt vniuersa bella gesta à Dauide vt prius diximus. & regnavit Chanum filius eius pro eo. Dixitque Dauid faciam misericordiam cum Chanum filio Nachas. Tam dictum est & hic in similibus loco misericordiam legēdū esse gratiam. sicut fecit pater eius mecum gratiam. Quando & qualem Nachas rex Hammonitarū contulerit Dauidi gratiā nulla authentica scriptura tradit. & misit Dauid ad consolandum eum per manum seruatorum suorum super morte patris eius: veneruntque serui Dauid in terram filiorum Hammon.

Et dixerunt principes filiorum Hammon ad Chanum Dominum suum, an honorat Dauid patrem tuum in oculis tuis quod misit ad te consolatores? Mali principes interpretantes officium honoris defuncti patris coram filio in officium explorationis. & non ideo vt te inuestigaret. Iuxta hebræum habetur. nonne vt inuestigaret ciuitatem & exploraret eam. Diligentia explorandi per annexam inuestigationem describitur. & vt euerteret eam misit Dauid seruos suos ad te? Tulit itaque Chanum seruos Dauid. & rasis dimidium barbæ eorum & præcidit vestes eorum in medio usque ad nates eorum: & dimisit eos. Ecce ignominia causa tantorum præliorum Nūciatūque est Dauidi & misit in occursum eorum, tum ad consolandum, tum ad induendum, tum ad deputandum illis locum vbi manere possent. erant enim viri confusi turpiter valde. Interpretes addidit diuisionem turpiter exaggerandi gratiā. & dixit eis rex, manete in Iericho donec crescat barba vestra & reuertemini. Vtebantur enim tunc temporis barba: & propterea turpis apparebat vir rafa barba.

Viderunt

Viderunt autem filii Hammon quod iniuriam fecissent Dauidi. Iuxta hebræum habetur. quod fuerunt abominati Dauidem. Vere tanquam ab ominantes Dauidem illius legatos eiecerūt ignominia affectos. & miserunt filij Hammon & mercede conduxerunt Syriam Beth rechob et Syriam Zoba viginti millia peditum & à rege Mahacha mille viros. Non solum iniuriam intulerunt, sed & bellum addere curauerūt. & ab Is'rob decem millia virorum. Legendum est. duodecim millia virorum. hic enim numerus habetur hebraicé.

Andiuitque Dauid: & misit Ioab & totum exercitum bellatorum. Legendum esset. potentium. Sapienter Dauid noluit expectare vt exercitus conuenirent in terram suam, sed ad terrā hostium misit suum exercitū. Egressi sunt autem filij Hammon & disposuerunt prælium ad introitum portæ: Syriæque Zoba & Rechob & Is'rob & Mahacha seorsum erant in campo. Viditque Ioab quod preparatum esset aduersum se prælium ante & retro: & elegit ex omnibus electis in Israel & disposuit in occursum Syriæ. Reliquum vero populi dedit in manum Abisai fratris sui: et disposuit in occursum filiorum Hammon. Prudenter Ioab medium se videns inter duos exercitus inimicorum diuisit suum exercitum in duas partes è regione vtriusque exercitus: vt & neuter haberetur à tergo & mutuo sese adiuuare possent ipse & frater eius, utpote in medio existentes. Dixitque si fortior me fuerit Syria, eris mihi in salutem: & si filii Hammon fuerint fortiores te, veniam ad saluandum te. Roborare & roboramur pro populo nostro & pro ciuitate Dei nostri. Legendum est. & pro ciuitatibus Elobæ nostri. agebatur enim non de vna ciuitate, sed de vniuerso statu. dominus autem faciat quod bonum est in oculis suis. Appropinquauitque Ioab & populus qui erat cum eo ad prælium contra Syros: & fugerunt à facie eius. Filii autem Hammon viderunt quod fugerent Syri & fugerunt à facie Abisai & ingressi sunt ciuitatem: reuersusque est Ioab à filijs Hammon & venit in Ierusalaim.

Videntes igitur Syri quod corruissent coram Israel. Iuxta hebræum habetur. Et vidit Aram quod fuit mortificatus coram Israel: & congregati sunt simul. Susceperunt belli causam Syri vidētes se caesos ab Israel. frequēter enim Arā ponit pro Syro. Misitque Hadar hexer. Non scribitur quod Hamon miserit quemadmodū prius: sed quod ipse rex Sobæ misit ad cōgrogandū aliū exercitū. & eduxit Syros qui erāt trans flumiū. Et hic quoque

quoque nō Syrus, sed Aram scribitur. Et est sermo de flumine qui appellatur euphrates: vt hinc intelligamus quod hebraei vtuntur Arā & pro Syro & pro Aramaeo populo Mesopotamiæ. & adduxit eorum exercitum. Iuxta hebræū habetur. & venerunt Chelam. Nomen est proprium loci. & Sobach princeps militiae Hadar' hezer ante eos. Modus quo venerūt ex Mesopotamia ad Chelam describitur: videlicet antecedere eos principe militiae Hadar' hezer. Nunciatum est autem Dauidi & contraxit omnem Israel. Legendum est. & congregauit omnem Israel. Iturus Dauid personaliter vniuersum Israelē congregauit. & transiit Iarden & venit ad Chelam. regionem in qua erat exercitus inimicorum. & disposuerunt Syri in occursum Dauid & pugnaverunt cum eo. Fugeruntque Syri a facie Israelis: & occidit Dauid de Syris. Legendum esset. de hā septingentos curus & quadraginta millia equitum. sed mixti erant Syri cum iis qui venerāt ex Mesopotamia. Et diligenter annotabis quod hic supputantur interfecti in ca. vero. s. supputantur capti ex exercitu Hadar' hezer. & propterea alius numerus scribitur ibi & alius hic & non ideo quod diuersa scribantur bella hic & ibi. idem enim vtrouique bellum scribitur: sed manifeste litera ibi loquitur de captis, hic de occisis. & Sobach principem militiae eius percussit & mortuus est ibi.

Videntes autem vniuersi reges qui erant in praesidio. Iuxta hebræum habetur. Vidcrunt autem omnes reges serui Hadar' hezer quod fuerunt mortificati coram Israele. significantur enim reges tributarii ipsi regi Hadar' hezer. inter quos intelligendus est Damascus qui opem tulisse Hadar' hezer scriptus est ca. 8. & exanerunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israel. Non habetur hæc clausula in hebræo: sed immediate subiungitur. & fecerunt pacem cum Israel & serui erunt eis. Ecce causa & modus quo gesta sunt quæ summata fuerunt in ca. 8. ex hoc enim bello iniusto contra Dauidem effecti sunt serui Israel. timueruntque Syri auxiliari vltra filios Hammon. Hinc ergo factum est vt Hammonitæ destituti fuerint auxilio Syrorum & sibiipsis relecti sunt.

CAP. XI.



T fuit in reuersione anni tēpore quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab & seruos suos cum eo & totum Israel & vastauerunt filios Hammon & obsederunt Rabbā. Destitutos Hammonitas ab exteris facile vastauerunt

vastauerunt Israelitæ & regiam ciuitatem obsederūt. Dauid autem mansit in Ierusalaim.

Dum hæc agerentur, accidit quadam die vt surgeret Dauid de stratu suo post meridiem & deambulet in solario domus regis. Iuxta hebræum habetur. Et fuit tempore vespertino & surrexit Dauid de stratu suo & iuit super tectum domus regis. Ex aula in qua erat lectus eius surrexit hora vespertina ascendens super tectum. æstiuum siquidem tempus insinuat quo delectabile est hora vespertina morari super tectum, sub diuo. erant enim tecta regionis illius pauimētata sub diuo, quemadmodū hodie apud nos caietæ sunt. Tempus enim primi veris quo reges egrediuntur ad bellum in principio huius capituli narratum, refertur ad missionē Ioab cum exercitu aduersus Hammonitas & non extenditur ad ascensum Dauidis super tectum: sed hic ascensus narratur pugnante Ioab contra Hammonitas. ex subiunctis autem perspicuum est multo tempore durasse huiusmodi obsidionem: nam & Vrias Hethæus durante illa occisus est, & postea Dauid personaliter ad capiendum ciuitatem regiam iuit. viditque mulierē lanantem se è tecto. Hinc discimus quam periculosus sit mulierum aspectus: cum tantus vir habes tot vxores ex visu mulieris ruerit in tot crimina. & mulier erat pulchra valde. Parui refert quod hebraicè habetur. bona aspectu valde. in idem enim redit sententia. Misitque Dauid & requisit de muliere: & dictum est ei quod ipsa esset Bethsabe. Corrupte hebraicum nomen (videlicet Bathsab ih) profertur. filia Elihā vxor Vriæ Chithei. Misitque Dauid nuncios & tulit eam: quæ cum venisset ad illum dormiuit cum ea statimque sanctificata est ab immundicia sua: Sententia recte redditur: videlicet mundicia à menstruo quæ comes est conceptionis. & reuersa est ad domum suam. Et concepit mulier: misitque & nunciavit Dauidi & dixit ego concepi.

Misit autem Dauid ad Ioab mitte ad me Vriam Chitheim: & misit Ioab Vriam ad Dauidē. Et venit Vrius ad eum: quisitque Dauid quā recte ageret Ioab & populus & quomodo administraretur bellum. Parui refert quod hebraicè habetur. & interrogauit Dauid de pace Ioab & de pace populi & de pace belli. Modus loquendi hebraicus est pacis nomine vrēdo pro vniuerso bono. Dixitque Dauid ad Vriam descende in domum tuā & laua pedes tuos. Ad occultandū patrem conceptæ prolis tēdebat vniuersū studiū Dauidis. egressusque est Vrius de domo regis

Z. secutusque

secutus; est enim cibus regis. honoris gratia ut hilarior esset cum vxore sua. Dormiit autē Vri'ias ad portā domus regis cū omnibus seruis Domini suis & non descendit in domum suam.

Nam iamque est Davidi dicēdo non descendit Vri'ias in domum suam: et dixit David ad Vri'iam nonne tu de via venis? cur non descendisti in domum tuam? Dixitque Vri'ias ad David: arca Dei. Superfluit Dei: subintelligitur tamen. & Israel & Iehuda manent in tabernaculo et dominus meus Ioab & serui Domini mei super faciem agri manent & ego ingrediar domū meam ut comedam & bibam & dormiā cū vxore mea? per salutē tuam & salutē animae tuae. Iuxta hebraeum habetur. vita tua & viuat anima tua non faciam rem hanc: Vitam corporalem & vitam spirituale ipsius Davidis obtestatur iuramento execratori. Et dixit David ad Vri'iam, mane hic etiam hodie & cras dimittam te: mansitque Vri'ias in Ierusalem die illa & sequenti. hoc est in die quo venit & die immediate sequenti. sic enim verificatur mane etiam hodie & cras mittam te: duabus enim duntaxat noctibus in Ierusalem mansit. Vocauitque eum David & comedere fecit eum coram se & bibere & inebriauit eum. Modus autem quo inebriauit eum non est scriptus. nihil praetermisit David ut in doceret Vriam vel ebrium ad dormiendum cum vxore sua, qui egressus est vespere ad dormiendum in situ suo cum seruis Domini sui & in domum suam non descendit.

ET fuit in mane. secundū proculdubio noctis. scripsit David epistolā ad Ioab: misitque per manū Vri'iae. Et scripsit in epistola dicendo: ponite Vri'iam ex aduerso praelii fortis & derelinquite eum ut percutiatur & moriatur. Vide quo ducit amor mulieris. Igitur cum Ioab obsideret urbem. Iuxta hebraeum habetur. Et fuit custodiēte Ioab ciuitatem & dedit Vri'iam ad locum in quo nouit quod viri fortitudinis ibi. Iniquum mandatum Davidis subsecuta est iniqua obedientia Ioab. nō enim excusatur minister principis occidendo ex iussu principis virum indemnatum in quo nulla apparet iniquitas digna morte. Egressique sunt viri ciuitatis & pugnaverunt cum Ioab: & ceciderunt de populo de seruis David & mortuus est etiam Vri'ias Chittheus. Non solus Vri'ias occisus est à Davide, sed cum ipso multi alii. ita quod multorum homicidiorum reus fuit David: & propterea poenitens postea supplicabat libera me de sanguinibus deus.

Misitque Ioab: & nunciavit Davidi omnia verba praelii. Et praecipit

cepit nuncio dicendo: cum compleretur omnia verba praelii loqui ad regem. Si ascenderit ira regis, & dixerit tibi, cur accessisti ad ciuitatem ut praeliareris mihi, nonne sciuisti quod proicerent ex muro? Quis percussit Abimelech filium Ierubbiseth nonne mulier proiecit super eum fragmen mole de muro & mortuus est in Thebez? cur accessisti ad murum? dices etiam seruus tuus Vri'ias Chittheus mortuus est. Ad mitigandum iram regis instruit nuncium ut mortem Vri'ae placeatē regi adiungat.

Abiitque nuncius: & venit & nunciavit Davidi omnia pro quibus miserat eum Ioab. Et dixit nuncius ad David: praualuerunt contra nos viri & egressi sunt ad nos in agrum, iuimusque contra eos usque ad introitum portae. Et sagittarunt sagittarum ad seruos tuos de muro: & mortui sunt de seruis regis & etiam seruus tuus Vri'ias Chittheus mortuus est. Hinc apparet prudentia nuncii nō expectantis ut rex irasceret, sed praueientis illius iram. perpenderat enim ex verbis Ioab, placere ita regi morte Vri'ae, ut nunciare illius mortem esset medicina reliqui mali.

Et dixit David ad nuncium: sic dices ad Ioab, non te frangat ista res, varius enim euentus est belli & nunc hunc & nunc illum consumit gladius. Iuxta hebraeum habetur. non displicebit in oculis tuis res ista, quia sicut hunc & sicut hunc vorabit gladius. Nihil pendit stragem suorum effectus voti compos: & ex communitate accidentibus confortat Ioab. Hebraica autē phrasi tribuitur sicut hunc & sicut hunc: quod latine diceremus sicut vnam partem, ita & alteram. conforta bellatores tuos aduersus vrbem ut destruas eam. Iuxta hebraeum habetur. robora bellum tuum ad ciuitatem & destrue eam. Quod autem subiungitur. & exhortare eos, Iuxta hebraeum habetur. & conforta eum. Sūntque verba hae Davidis ad nunciū. mādāt siquidem nuncio duo: videlicet ut supradicta referat Ioab & ut confortet ipsum Ioab.

Audiuit autem vxor Vri'iae quod mortuus esset Vri'ias vir suus: & planxit eum. Transiitque luctus: & misit David & collegit eam in domum suam, & fuit ei in vxorem & peperit ei filium. Et in hoc facto publicauit adulterium pariente praesertim illa in tam breui tempore post nuptias. multi enim menses praeterierant: nam saltem post mensem agnovit se grauidam: & tempus luctus nobilium mulieram non modicum credendū est. & displicuit verbum hoc quod fecerat David corā Domino. Legendum est. & displicuit res quam fecit David in oculis Iehonah.



Misitq; dominus Nathan ad David. Benignitas diuina erga electos suos comendatur in hac legatione ad corripiendum Davidem. & venit ad eum & dixit, ei responde mihi iudicium. Interpretis proposuit responde mihi iudicium. duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues & alter pauper. Diues habebat oves & boues multos valde. Pauper autem non habebat quicquam nisi agnam vnā paruā quā emerat et nutrierat & creuerat cum eo & cum filiis eius simul: de pane eius comedit: et de calice eius bibebat et in sinu eius dormiebat eratq; illi sicut filia. Et venit peregrinus. Parui refert quod tū hic quā inferius scribitur. viator. sententia enim est eadē. ad virū diuitē et tēdit eum. sumere de ouibus & bobus suis ad parandum peregrino illi qui venerat ad eum: tulitq; agnam viri pauperis & parauit eā viro qui venerat ad eum. Et iratus est furor Davidis in virū valde: & dixit ad Nathan viuit dominus quod filius mortuus est qui fecit hoc. Hyperbolico sermone sententia hanc intellige: & discite quod etiā hyperbolice locutioni adhibere iuramentū nō est illicitū. Quem reddet in quadruplū. Iuxta hebræū rectius legitur. Et agnam restituet bis quadruplicatam. Augendam poenā legis censuit David: quia astimadum quoq; censuit quod agna illa erat delicta illius viri pauperis. eo quod fecit verbum istud. Legendū est. rem istam. videlicet tollere agnam delicta pauperis. & non pepercit. Iuxta hebræum habetur. & quia nō misertus est. Exaggerat culpam ex eo quod non est misertus pauperis diues ille.

Dixitq; Nathan ad David, tu es ille vir qui fecisti hanc rem. Iuxta hebræū habetur. tu vir. subaudit enim diues ille: hoc est tu es vir contra quē sententia protulisti. sic dixit dominus deus Israel, ego vixi te in regē super Israel et ego eripui te de manu Saul. Declarat parabolā manifestādo diuitē illū repræsentare ipsum Davidē diuitē cum multitudine diuitiarū & delictiarū. Vnde & subdit. Et dedi tibi domū domini tui & vxores domini tui in sinu tuo. non quod David cognouerit vxores soceri sui Saulis regis, sed quod illas habuit in vxores quæ dignæ erāt vt essēt vxores regis Saulis olim domini eius. dediq; tibi domū Israel & Ichude: et si parua sunt ista adiicia tibi multo miora. Iuxta hebræū habet. et si parua est adiicia tibi sicut ea et sicut ea. Vt alias dictum est, modus loquendi hebraicus est geminans similia. Cur contempsisti verbum domini. nō quod contempserit formaliter

(hoc

(hoc est ex intentione vilipendēdi præcepta diuina) sed facto contempsit. opera enim ipsa adulterii & homicidii suapte natura paruipendunt præcepta diuina & paruipendenda ab aliis præse ferunt. *faciendo malū in conspectu meo.* Legendū est. *in oculis eius.* hoc est Dei. *Vriā Chithei percussisti gladio & vxore eius accepisti tibi in vxore: & eū occidisti gladio filiorū Hammon.* Patefacit propheta Deū vidisse intentionē & epistolā dauidis vt Vrias interficeretur ab hostibus. & propterea cū dixisset Vriā Hethæū percussisti gladio, declarat modū: videlicet interfecisti eum gladio filiorū Hammon. *Quamobrem non recedet.* Iuxta hebræū habet. *Et nunc non recedet gladius de domo tua vsq; in seneculū.* Pro culpa homicidii immo homicidiorum ob multos simul peremptos prima hæc poena imponitur. Quam verificatam esse in tribus Davidis filiis breui tempore legimus: nam primogenitus eius Ammon occisus est & similiter Absalon & postea Adonias à Salomone. & in senectute Salomonis iussit deus aduersarios illi. & post mortē Salomonis manifestus gladius aduersus domū Davidis surrexit Ieroboā persecueras in regibus Israel quādiu fuerūt reges Israel. *eo quod despersisti me et tulisti vxore Vriæ Chithei vt esset tibi in vxorem.* Initiū sequentis clausulæ est. commemoratur enim alterū crīmē, scilicet adulterii: & adiungitur respōdens illi poena. *Sic dixit dominus ecce ego suscito super te malū de domo tua.* Verificatus est hoc cū Absalon fecit se regē. Et est sermo non de malo culpa, sed de malo poenæ. deus enim non est author peccati vt sic, sed quatenus poena est peccantis vel alterius. *& tollam vxores tuas in oculis tuis & dabo proximo tuo. immo filio tuo. & dormiet cū vxoribus tuis in oculis solis huius.* Quia tu fecisti in Abscondito: & ego faciam rem hanc. quatenus malum poenā tuā non quatenus incestus peccatum committēdum ab Absaloni. coram toto Israel & coram sole.

ET dixit David ad Nathan peccavi Domino. Inspirante deo agnouit & confessus est David pecc. Ite se offendendo Deum: vt pote qui transgressus est diuina præcepta. dixitque Nathan ad David dominus quoque transtulit. Iuxta hebræum habetur. *etiam Tehouah fecit transire peccatum tuum.* Mirabilis celeritas diuinæ gratiæ. cōfiteute siquidem Dauide peccatum suum statim deus peccatum condonat. testatur enim propheta hoc: nō dicendo faciet transire, aut facit transire, sed dicendo fecit transire. Ante igitur quam verba hæc propheta pro-

Z iij ferret

ferret condonauit deus peccatum. est enim sensus quod deus fecit peccatum non ultra morari in te sed fecit transire illud à te venià dando. *nō morieris.* Ad cor Dauidis respondet: timebat enim ex verbis prophetae mori: nam propheta dixerat & nūc nō recedet gladius de domo tua. Timore hunc tollit propheta dicendo, nō morieris propter hoc peccatū, nō punieris tu morte tua corporali. Verūtamē quoniā blasphemare fecisti inimicos nomen domini propter verbum hoc. Iuxta hebræū habetur. Profecto quia irritando irritasti inimicos Iehouah in re ista, etiā filius natus tibi moriādo morietur. Et est planus literæ sensus. quia prouocasti ad iram, ad vindictam, ad cladē inferendā Israelitis inimicos dei Hammonitas, ideo filius natus morietur. Vel non restringendo inimicos Dei ad Hammonitas (sed simpliciter & absolute intelligendo inimicos Dei homines peccatores pronos ad male sentiendū seu ad blasphemandum gubernationem diuinam) sensus est, quia prouocasti ad malas cogitationes malōsque affectus & consequenter mala verba inimicos Iehouah ac per hoc promptos ad male sentiendum de Deo in re ista. nam inimici Dei audientes Dauidem electum à Deo in regem cū tāta prosperitate videndūque eum patrasse hęc scelera, ansam acceperant male sentiendi de gubernatione diuina: utpote fouente regem scelestum. Et hic sensus suauiter quadrat tum rei tum literæ. hebraicum siquidem verbum interpretatum irritare, significat prouocare alterius intima ad tristitiam non qualemcunque, sed (vt aiunt) quasi a crepandum. talis est enim dispositio animi inimicorum Dei videntium hęc in gubernatione diuina. Et annotabis hinc quod deus expectauit nouem menses permittens Dauidem in peccato suo & nato filio adulterino misit prophetam ad corripiendum Dauidem. Annotabis quoque quod iam peccatum Dauidis notum erat: alioquin non dixisset propheta, quia irritando irritasti inimicos Dei in re hac. vtēdo enim verbo prateriti temporis diuulgatum iam esse peccatum Dauidis insinuat. Et hinc tu theologe habes manifeste quod deus quandoque condonat peccatū & non simul remittit pœnam peccati totam. ignouit enim Dauidi & tamen partem pœnæ reseruauit vt puniretur morte filii nati ex ipsa Bethsabe. nec pœna hęc sola relicta est: sed etiam pœna superius scripta: vt patet in subiunctis gestis per Absalon.

Abiitq; Nathan ad domum suam: & percussit dominus infantem quem

quem pepererat vxor Vriſie Dauidi, & desperatus est. Iuxta Hebræum habetur. & egrotauit. significaturq; agritudo vehemens. Deprecatusq; est Dauid Deum: pro puero. Nomen est Elohim. Quauis iustus iudicem agnosceret, quauis sententiā mortis infantuli audisset à propheta, ad ipsum tamen deum rogandum se cōtulit, si forte reuocaret Deus sententiā. & Ieiunauit Dauid ieiuniū, & ingressus seorsum iacuit super terram. Iuxta Hebræū habetur. & veniet & dormiet & iacbit in terra. Relatiue ad inchoatū ieiunium describuntur hęc in futuro. Surrexerunt autē seniores domus eius super eum ad faciendū surgere eum de terra: & noluit & nō pransus est cū eis panem. Et fuit in die septima, mortuus est infans. Intellige die septima à natiuitate pueri: qui in circuncisus mortuus est & sine nomine, eo quod circuncisio præcepta erat die octauo. *simucrum* q; serui Dauid indicare ei quod mortuus esset infans: quia dixerunt, ecce cum esset infans viuus locuti sumus ad eū & non audiuit vocem nostrā, quomodo ergo dicemus ad eū, mortuus est infans: & faciet malum? Cum ergo Dauid audisset. Iuxta Hebræum habetur. Et vidit Dauid quod serui sui musitarēt. Sensus visus describitur percipisse seruos musitates. & intellexit Dauid quod mortuus esset infans: dixitque Dauid ad seruos suos, an mortuus est infans? & dixerunt, mortuus est. Surrexitque Dauid de terra, & lauit se & vixit se & mutauit vestes suas, & ingressus est domum domini & adorauit: veniūq; ad domum suam & petiuit, & posuerunt ei panem & comedit. Dixerunt autem serui eius ad eum, quis est sermo hic quem fecisti? Legendū est, quæ res ista quæ fecisti? dictio enim Hebraica quauis proprie significet verbum, sepe tamen ponitur pro re. propter infantem viuum ieiunasti & fleuisti, mortuo autē infante surrexisti & comedisti panem. Qui ait, propter infantem viuum ieiunasti & fleuisti: dixi enim, quis scit si forte donet eum mihi dominus. Hebraice habetur. si miserebitur mei Iehouah & viuet infans? Constatetur quod propter peccatum suū moriebatur infans: & propterea, dicit si miserebitur mei & viuet infans. Et nunc mortuus est, quare ieiunasti? an potero reducere eū amplius? ego vadā magis ad eū. Iuxta Hebræū habetur. ego perges ad eū, & ipse non reuertetur ad me. Vbi prudēs lector aduersus dicentes nō haberi immortalitātē animæ in libris veteris testamenti, habes professionem Dauidis q̄ ipse pergit ad filium, proculatubio per mortem: nec esset verum ipsum pergere ad filium si anima filij extincta fuisset. ad eū enim qui nō est, nullus pergit.

Consolatusque est David Batselah uxorem suam, & ingressus est ad eam & dormiuit cum ea: qua peperit filium, & vocauit nomen eius Selomo, & dominus dilexit eum. proculdubio ad regnum. Misitq; eum in manu Nathan prophetae. Superfuit eum. & significatur quod deus misit in manu (hoc est per mediū) Nathan prophetae. Ad quid autem miserit, subiungitur. & vocauit nomen eius. Rex David nominauit filium Selomo hebraice, latine autem pacificus: deus vero per Nathan imposuit ei aliud nomen: videlicet. *amabilis domino*: eo quod diligeret eum dominus. Iuxta Hebræū habetur. *Iedi' iah*: propter *Te-houah*. Dittio hebraica latine dicitur dilectus Dei. Nominauit itaque Nathan Salomonem dilectum à Deo, propter ipsum deum & non propter propria merita. Eodem autē vsus est Deus propheta ad approbandum hunc filium natum ex Bethsabe iam legitima coniuge Davidis, quo vsus fuerat ad corripiendum Dauidem de adulterio cum eadem & prænuiciandum mortem prioris filij nati ex adulterio: ne discordia videretur esse inter prophetas, quæ apparuisset si alter propheta approbasset Salomonem.

ET pugnavit Ioab contra Rabbam filiorum Hammon. Rediit author libri ad ordinem bellicæ historiæ. & expugnauit. Iuxta Hebræum habetur. & cepit ciuitatem regiam. Qualiter autem hoc intelligatur, statim subiungetur. Misitq; Ioab nuncios ad David: & dixit. pugnaui contra Rabbam, & capiendā est vrbs aquarum. Iuxta Hebræum habetur. etiam cepi ciuitatem aquarum. Ecce ciuitas regia quam ceperat Ioab. Et nunc congrega residuum populi, & obside ciuitatem. Parui refert quod Hebraice habetur. & castrametare super ciuitatem & cape eam. non igitur erat capta ciuitas regia à Ioab, cuius oppositum superior litera sonat. Solutio est quod ciuitas regia distincta erat in duas partes. quarum exterior vocabatur ciuitas aquarum: & hæc portio capta fuit à Ioab, interna autē portio non erat capta, sed capiendā: & hanc seruauit Ioab capiendam à Davide. ne cum à me vastata fuerit. Iuxta Hebræum habetur. ne quando capiam ego ciuitatem. vmbilicus siquidem ciuitatis supererat capiendus. & vocetur nomen meum super eam. Sciebat Ioab quàm molestum fuerit regi Sauli audire laudes Davidis in triumpho. & propterea prudenter exemit se ab huiusmodi inuidia: & victoriæ nomen ac gloriā transferre curauit in Dauidem regem.

Congregauitq;

Congregauitque David totum populum, & profectus est Rabbā: & pugnavit contra eam, & cepit eam. Et tulit diademata eorum de capite eius, & pondus eius erat talentum auri. Mirum est quod rex Hammonitarum capiendus ornatus fuerit diademate: quia tamen in principio huius secundi libri legimus Saulem regem cū diademate in prælio, mos temporis illius insinuatur. habens gemmas preciosissimas. Iuxta Hebræum habetur. & lapis preciosus. Vnus forte duntaxat preciosissimus erat lapis. & fuit super caput David. Hactenus non legitur vsum fuisse Dauidem diademate. & pradam ciuitatis extraxit multā valde. Populumq; qui erat in ea adducens. Rectius scriberetur. extraxit. quoniā hoc significatur Hebraice. & ferrauit. Circa hæc instrumenta seu potius tormenta non concordāt interpretes. quatuor enim tormentorum genera scribuntur: sed hoc primum alij ferram, alij plar ulam ferream interpretantur. & circumegit super eos ferrata carpenta. Secundum tormentū describitur. & iuxta Hebræum legendum esset simul cum primo tormento. & posuit in planula (seu ferra) & in cuspidibus ferri. tormentum siquidem significatur ex ligno plano habēte quasi cuspidēs clauorum fixas, vacuo inter eas intercepto. Diuisitq; cultris. Iuxta Hebræum immediate subiungitur. & in securibus ferri. quod non eget expositione. & traduxit in typo laterum. Iuxta Hebræum habetur. & faciet transire eos in locum formacis. Et hoc sonat quartum tormentum. Non desunt tamen dicentes significari certum locum, cuius nomen propriū explicatur dicendo. in Malchen. Elige quod malueris: primus tamen sensus magis quadrat subiūctæ clausulæ. & sic faciet omnibus ciuitatibus filiorum Hammon. minus enim quadrat vt ad vnum certum locum ex singulis ciuitatibus extraherentur torquendi: sed potius quod singulis ciuitatibus singula tormentorum loca accommodarentur. Vfus est autem David tot tormentis erga istos, in vltionem ignominia factę legatis eius & moti insuper toties belli aduersus eū ab eisde. & reuersus est David & totus populus in Ierusalaim.

CAP. XIII.

ET fuit post hæc. Ordo tēporis annotandus est. Absalom filio Davidis erat soror pulchra nomine Thamar: adamauitq; eam Amnon filius David. Et angustiis affectus est Amnon adeo vt agrotaret propter Thamar sororem suam: quia virgo erat, & difficile ei videbatur vt quicquam inhoneste

inhoneste ageret cum ea, iuxta Hebræum habetur. & fuit celatum in oculis Amnon ad faciendum ei quicquam. Ignorabat modum Amnon quo posset assequi intentum. Erat autem Amnoni amicus nomine Ionadab, filius Simhah fratris David: & Ionadab erat vir prudens valde. Et dixit ei, quare tu sic attentaris macie filii regis singulo mane? quasi dicat, primogenitus es regis & nullam habes rationem tantę tristitię. nonne indicabis mihi? & dixit ei Amnon, Thamar sororem Absalom fratris mei adamo. Cui respondit Ionadab, cuba super lectum tuum & languorem simula: & veniet pater tuus ad videndum te, & dices ei, veniat obsecro Thamar soror mea ut det mihi panem & faciat in oculis meis pulmentum, ut videam & comedam de manu eius.

Accubuitque Amnon & languorem simulavit, & venit rex ad videndum eum: & dixit Amnon ad regem, veniat obsecro Thamar soror mea & faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, iuxta Hebræum habetur. duo cordialia, à corde enim Hebraice dictio deducitur. nec explanatur materia aut forma cordialis apud Hebræos nuncupati, tanquam conferentis cordi. & comedam de manu eius. Misit ergo David ad Thamar in domum dicendo: vade quaeso in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum.

Tulitque Thamar in domum Amnon fratris sui, qui iacebat: & tulit farinam & miscuit & liquefecit in oculis eius, iuxta Hebræum habetur verbum significans facere cordialia. & coxit sorbitiunculas. Iam dictum est quod habetur, cordialia. Tollensque quod coxerat effudit & posuit coram eo. Iuxta Hebræum habetur. Et tulit sartagine & colavit coram eo. Appellatione tamę sartagine intellige etiam vas æreum fruxorio simile, in quo farcimina varia coquere solent quasi assando. Propter transpositionem apud Latinos insolitam, amicam tamen Hebręis, intelligendum puto quod prius colavit pastam in sartagine, deinde coxit coram eo. & renuit comedere: & dixit Amnon eiecite omnem virum à me, & eiecerunt omnem virum ab eo. Dixitque Amnon ad Thamar, affer pulmentum in conclauem. Iuxta Hebræum habetur, in cubiculum, hoc est in aulam in qua dormiebat. & comedam de manu tua: & tulit Thamar sorbitiunculas. Lege, cordialia quę fecit, ut supra. & attulit ad Amnon fratrem suum in cubiculum. Et obtulit ei ut comederet: apprehenditque eam, antequam aperiret ei cor suum. & dixit ei, veni cuba mecum soror mea.

Quę dixit ei: non frater mi non opprimas me, quia non sit sic in Israel, non facias ignominiam hanc. Ego enim ferre non potero opprobrium

probrum meum. Iuxta Hebræum habetur. Et ego quo portabo vituperium meum? ac si apertius dixisset, ad quem sponsum ego ibo stuprata? & tu eris sicut vnus ignominiosorum in Israel: & nunc loquere quaeso ad regem, quia non negabit me tibi. Existimauit puella posse fieri coniugium Amnon secum, eo quod orti erant ex diuersis matribus: & audierat forte quod Abraham simile habuit coniugium cum Sara, vel quia in regione vnde oriunda erat mater eius, licita esse huiusmodi coniugia audierat. Noluitque audire vocem eius: & preualuit ei, & oppressit eam & cubuit cum ea.

Et odiuit eam Amnon odio magno valde, quia maius fuit odium quo odiuit eam amore quo amauerat eam. Naturalis ratio huiusmodi odii à philosophis redditur, multi seminis effusio mutans dispositionem internam humorum & consequenter dispositionem affectus in contrarium. dixitque ei Amnon, surge vade. Quę dixit ei, maius est hoc malum quod nunc agis aduersum me quam quod ante fecisti expellens me. Sententia non male redditur: Hebraice tamen habetur, non causa mali istius maioris altero quod fecisti mecum ad mittendum me. Et est ordo literarum. non sis causa istius mali (videlicet ad mittendum me) mali inquam maioris altero malo quod fecisti mecum. Intendebat enim manere tanquam vxor ipsius Amnon, ut sic patrato malo remedium adhiberetur. & propterea emissionem sui maius malum appellat (utpote excludens omne remedium) & rogat fratrem ut non sit causa tanti mali. & noluit audire eam, affectus passione contraria. Vocauitque puerum suum ministrum suum: & dixit, eiece quaeso istam à me foras & claudite ostium post eam. Et super eam erat tunica talaris. Iuxta Hebræum habetur, tunica polymita. hoc est ex diuersorum colorum filis contexta. sic enim induebantur filie regis virgines palliis: eiecitque eam minister illius foras, & clausit ostium post eam. Et tulit Thamar cinerem super caput suum, & tunicam polymitam, quę erat super eam scidit, posuitque manum suam super caput suum & iuit cundo & clamando. Dixitque ad eam Absalom frater eius, an Amnon frater tuus fuit tecum? & nunc soror mea tace, frater tuus est, non apponas cor tuum rei huic: & mansit Thamar contabescens. Parui refert quod Hebraice habetur, desolata in domo Absalom fratris sui, in idem enim reddit sententia.

Rex autem David audiuit omnia verba hec: & contristatus est valde. Iuxta Hebræum habetur, & iratus est valde, nec aliud scribitur

bitur quod dixerit aut fecerit. Et propterea quæritur an excusetur David à peccato iustitiæ omiffæ: tū quia Amnon oppresserat vi virginem: tum quia incestum commiserat in sororem suam filiam patris sui. utrunque enim crimen in lege Moysi puniendum decernitur. Solutio est quod crimen ammon non fuit deductum in iudicium, nec euidentia patratæ sceleris accusatū: quia puella quanuis scissa veste clamans & lugens iuerit, causam tamen non publicauit: vt patet ex eo quod Absalom interrogauit eam an Amnon cognouerit eam. nec testis inueniebatur. Ex hoc igitur quod causa nō innotuit regi vt iudici, excusatur David à punitioe iudicialia filij sui ammon & filiæ suæ Thamar. quæ etiam mortis rea erat: quia cum vis ei inferebatur nō clamauerat, in ciuitate tamen existens: vt lex decernit. Et noluit contristare spiritum Amnon filij sui: quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. Tota hæc clausula superflua est. Nō est autē locutus Absalom cum Amnon neque malum neque bonū: odiuit enim Absalom Amnon eo quod oppresserat Thamar sororem eius. hoc est odium seruabat in corde: & conuersabatur cum Amnon sicut prius, & de re hac nec bonum nec malum locutus est ei.

ET fuit post duos annos dierum, fuerūt tonsores Absalom in Bahal' chazor qua est iuxta Eph'raim: vocauitq; absalom omnes filios regis. Et venit Absalom ad regem, & ait: ecce obsecro tonsores sunt seruo tuo, veniat quæso rex & serui eius cum seruo tuo. Dixitq; rex ad Absalom, non fili mi non quæso veniamus omnes nos ne grauemus te: & cogebat eum, & noluit ire, sed benedixit ei. Et ait Absalom, & non veniet obsecro nobiscum Amnon frater meus? dixitque ei rex, ad quid ibi tecum? Coegitque eum Absalom: & misit cum eo Amnon & omnes filios regis. Feceratque Absalom conuiuium quasi conuiuium regis. Superflux sunt hæc vltimæ septem dictiones.

Præcepit autem Absalom pueris suis dicendo: videte quæso cum temulentus fuerit Amnon vino. Iuxta Hebræum habetur. cū lætificabitur cor Amnon vino, naturalis siquidē effectus vini in cōuiuuiis est lætificare cor, ita vt prodeat extra lætitia. & dicam vobis, percutite Amnon & interficite eum, non timeatis: ego enim sum qui præcipio vobis, roboramini & estote filij fortitudinis. Et fecerunt pueri Absalom Amnoni sicut præceperat Absalom: surrexeruntq; omnes filij regis, & equitauerunt vnusquisque super mulam suam & fugerunt.

Cūque adhuc essent in via, fama venit ad David dicendo: percussit

eussit Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis vnus. Surrexit autem rex & scidit vestimenta sua, & cecidit super terram. Legendum est. & iacuit in terra. spontaneum siquidem iacere in terra fuit. & omnes serui eius assistebant scissis vestibus. Respondit autem Ionadab filius Simhah fratris David & ait, non dicat dominus meus omnes pueros filios regis occisos esse, quia Amnon solus mortuus est: quia in odio. Iuxta Hebræum habetur. quia per os Absalom fuit positus à die qua oppressit Thamar sororem eius. Sermone metapharico describitur odium promptum ad occidendum Amnon ad instar eius quod verfat per os, quod continuè quærimus eiicere ex ore. Et nunc non ponat dominus meus rex super cor suum verbum dicēdo: omnes filij regis mortui sunt: quia Amnon solus mortuus est. Fugit autem Absalom: & eleuauit puer speculator oculos suos, & aspexit & ecce populus multus veniebat per iter deuium. Iuxta Hebr. habetur. de via post eum ex latere montis. Et est ordo literæ, de via ex latere mōtis post eum: videlicet montem. Dixitque Ionadab ad regem: ecce filij regis veniunt, iuxta verbum serui tui sic fuit. Cūque compleuisset locum, apparuerunt filij regis. Parui refert quod Hebraice habetur. & ecce filij regis venerunt & leuauerunt vocem suam & fleuerunt: & etiam rex & omnes serui eius fleuerunt fletu magno valde. Sententia clara est.

Absalom vero fugit, & iuit ad Thalmal filium Hammichur regem Ghesur. auum suum, vt pote patrem matris suæ: vt superior cap. 3. scriptum est. & luxit David filium suū omnibus diebus. Absalom vero fugit & iuit in Ghesur. & fuit ibi tribus annis. Cessauitque David rex persequi Absalom. Iuxta Hebræum habetur. Et desiderauit David rex ad egrediendum ad Absalom: quia consolatus fuit super Amnon quod mortuus. Tandem post triennium vel circa, librās David quod mortuus irreuocabilis est nec tristitia prodest, cōsolationem accepit per cessationem, tristitia: & concupiuit exire per actum benevolentia ad Absalom, ne vtroque filio priuaretur.

CAPVT XIII.

Ognouit autē Ioab filius Ner, quod cor regis versum esset ad Absalom. Pro claritate maiore ad didit interpretis versum esset. Misitq; Ioab in Thecoham, & tulit inde mulierem sapientem: & dixit ad eam, iustum quæso simula & indue te quæso vestimētis lugubribus, & non vngas te oleo & sis velut mulier iam diebus multis lugens mortuum. Et ingredietis

ingredieris ad regem, & loqueris ad eum iuxta verbum hoc: & posuit
 Ioab verba in ore eius. Animaduertat Ioab quod conuictus
 fuerat Dauid propriaque datus sententia ex parabola pro-
 posita à Nathan propheta, & propterea excogitauit simili
 modo inducere Dauidem ad reducendum Absalon proponendo
 parabolam, vt rex nesciens esse parabolam proferret sententiam
 contra seipsum: vt postquam iudicasset seruandum esse filium mulie-
 ris qui occiderat fratrem, ex hac lata sententia animaduerteret
 seruandum quoque sibi esse Absalon filium suum qui occiderat fratrem.

Ingressa est mulier Thecobithis ad regem, & cecidit super faciem
 suam in terram & adorauit: & dixit, serua rex. Et ait ad eam rex, quid
 est tibi? quae respondit, heu mulier vidua sum & mortuus est vir meus.
 Et ancilla tua erat duo filii, & rixati sunt arbo in agro, & non erat
 qui liberaret inter eos: percussitque alter alterum, & interfecit eum. Et ce-
 co surrexit tota cognatio contra ancillam tuam, & dixerunt, da percus-
 sorem fratris tui & occidemus eum propter animam fratris eius quem in-
 terfecit, & delebimus etiam heredem, ne reportet emolumentum hæ-
 reditandi omnia ex fratricidio. & extingui scintillam meam. Recte
 legeretur, prunam meam quae relicta est, vnum videlicet carbonem in-
 cecum vt non ponatur viro meo nomen & residuum super faciem terra.
 Et ait rex ad mulierem: vade in domum tuam, & ego iubebo pro te.

Dixitque mulier Thecobithis ad regem: super me domine mi rex
 sit iniquitas & super domum patris mei, rex autem & thronus eius sit
 innocens. Superfluit utrobique sit, absque verbo enim scribitur
 Hebraice: & subintelligitur erit. Nam mulier non contenta
 promissione regis ego iubebo pro te (hoc est vt filius tuus ser-
 uetur) instando proponit quod non obstante hac regis promissione
 illi qui eam vexabat prosequerentur causam aduersus filium, & sic
 iniquitas vindicanda erit in ipsam, rex autem erit innocens. &
 propterea rex respondet aliud adhibendo remedium. Et ait rex:
 qui contraxerit tibi adduc eum ad me. Recte redditur sensus: quis
 hebraice habeat, loquentem ad te facies venire ad me, & non addet vl-
 tra vt tagat te. Et dixit, Mulier adhuc non contenta replicat, re-
 cordetur obsecro rex Iehonah Eloha tui à multiplicando redemptorem
 sanguinis ad destruendum, & non destruet filium meum. Timet mulier ne
 multitudo propinquorum congregetur contra filium suum coram
 rege, & obtineat destructionem filii si omnes vexantes eam adduce-
 di essent ad regem: & propterea obsecrat vt Dei recorderi imi-
 tando illi misericordiam ac prouidentiam, & caueat à multiplican-
 do propinquos redemptores sanguinis contra ipso rege, appellat
 enim

enim Hebraei redemptorem sanguinis eum ad quem spectat querere
 vindictam, tamquam hoc sit redimere occisi sanguinem, qui ait, vi-
 uat dominus si cadet de capillo filii tui in terram, iure iurando affir-
 mat rex impunitatem filii viduae. Et oritur quaestio an fuerit
 iustum hoc Dauidis iudicium, videtur, non quod fuerit iniustum:
 utpote aduersus legem Moysi. Solutio est quod lex de punitione
 homicidiae in casibus dubiis ex arbitrio pendeat principis, erat
 autem hic dubium an occisor provocatus & se defendendo occiderit
 alterum: nullus, non erat testis. Rursus in homicidiis repetitis (hoc
 est absque vilo pcedente odio, quale hoc proponit) lex magna
 decernit clementiam: & propterea nihil iniusti iuravit Dauid.

Dixitque mulier, loquatur obsecro ancilla tua ad dominum meum
 regem verbum, & dixit, loquere. Tandem afflicta mulier
 intentum (videlicet quod rex decreuit etiam adhibito iura-
 mento seruandum ei filium quamuis fratricidam) aperit parabolam inde
 conuincendo regem ad simile iudicium faciendum de Absalon, petita
 & impetrata licentia loquendi libere. Et ait mulier: quare cogitasti
 istiusmodi rem contra populum Dei, iuxta Hebr. habetur, & quare
 cogitasti sicut istud super populum Elohim, Manifeste explicat mu-
 lier tamquam arguendo regem, quod cogitatio eius contra Absalon
 erat similis vexationi filii viduae: & reiecit causam in populum
 Dei tamquam viduam, eo quod Absalon erat successurus in regnum:
 & propterea vexatio eius redudabat in populum, sicut vexatio
 filii viduae redudabat in viduam, imminebat enim periculum ne
 defuncto rege civile bellum surgeret: Absalon redeunte cum bra-
 chio regis Chesur & iure ad succedendum in regnum, & aliquo
 alio regis filio aliter succedente in regnum, & locutus est rex ver-
 bum istud vt peccet & non reducat eum suum, iuxta Hebr. habetur,
 & à loquendo rex verbum istud sicut delinques, vt non reducat rex ex-
 pulsus suum? hoc est & fuit rex sicut delinques factus à loquendo
 verbum istud, videlicet vt non reducat rex expulsus suum Absalonem.
 Et dicit sicut delinques, quia iam proprio iudicio rex ipse tamquam
 delinques non exaudientes cessauerat quarentes vindictam ad-
 uersus fratrem occisorem fratris, perinde autem dicit à loquendo
 &c. ac si diceret à sermone huiusmodi, Omnes morimur, & quasi a
 qua dilabimur in terram que non reuertitur, iuxta Hebr. habetur,
 Quia moriendo moriemur, & sicut aqua dilapsa in terram, que non erit
 congregata. Pars est haec inducta rationis ex malo populi, de-
 clarans necessitatem prouidendi antequam moriatur rex, ad hoc ce-
 nim tendunt verba haec: videlicet quod quia omnes morimur
 sic

sic quod per mortem reddimur inuites ad obuiandum præsentis vitæ periculis quemadmodum aquæ per terram dilapſæ quæ non cõgregantur ad vtilitatem aliquam, ideo dum tu rex viuus occurrere debes periculis ciuilibus belli. pensanda siquidem sunt verba hæc vt prolata à Ioab, præuidente periculum populi & sollicito de statu ac successore regni. *nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans ne penitus pereat qui abiectus est.* Iuxta Hebræum habetur. *Et non eleuabit Elohim animam, & cogitabit cogitationes vt nõ expellat à se expulsionem.* Altera affertur ratio ad reducendum Absalon, ex imitatione diuina: quia Deus gubernator ac iudex hominum non eleuabit (hoc est deprimet) quidem animam, id est vitam alicuius hominis, sed cogitabit cogitationes (hoc est ad similitudinem varia cogitantis prouidebit) vt non expellat à se expulsionem: hoc est expulsum hominem quem depreſsit. quod est dictum, Deus quidem castigat aliquem, sed nõ est facilis ad perimendum, quoniam cogitat valde multa vt non perdat castigatum: fac ergo tu similiter. Nunc igitur veni vt loquar ad dominum meum regem verbum hoc præſente populo. Iuxta Hebræum habetur. *Et nunc que veni ad loquendum regi domino meo verbum istud, quia facient timere me populus.* Rationem incipit reddere mulier tum assumptæ istius curæ, tum propositæ parabolæ. & assumptæ quidem curæ loquendi pro Absalon, rationem reddit quia populus ad varia pronus incutit sibi timorem futuri ciuilibus belli. Nec aliquid scribitur de præſentia populi quæ habetur in vulgata additione: sed immediate subiungitur. *Et dixit ancilla tua, loquar quaſo ad regem, forsitan faciet rex verbũ ancilla sua.* Prosequitur rationem assumptæ curæ ex spe quod forte exaudietur à rege. *Et audiuit rex verba vt liberaret ancillam suam de manu omnium.* Iuxta Hebræum habetur. *Quia audiet rex ad liberandum ancillam suam de manu viri volentis delere me & filium meum simul de hereditate Dei.* Propositæ parabolæ rationem reddit spem quod rex iudicaret pro ipsa vidua & filio eius: vt ex voto successit. *Dixit ergo ancilla tua, Iuxta Hebræum habetur. Et dixit ancilla tua.* Finem parabolæ intentum refert dicendo & dixit ancilla tua, in corde suo. *vt fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium.* Iuxta Hebræum habetur. *erit quaſo verbum domini mei regis ad requiem.* ad hoc tetendit parabola mea vt sententia regis sit ad requiẽ populi. *sicut enim angelus domini sic est dominus meus rex*

rex

rex vt nec benedictione nec maledictione moueatur, vnde & dominus Deus tuus est tecum. Iuxta Hebræum habetur, quia sicut angelus Elohim, sic dominus meus rex ad audiendũ bonum & malum, & Jehonah Eloha tuus erit tecum. Rationem reddit quietis faciendæ per regem, ex eo quod ipse rex ad audiendũ tam bonum quam malum est sicut angelus Dei discutiens & librās & demum prouidens, eo quod summus Deus gubernās eum erit cum eo. Et adiungitur hoc ad manifestandum quare appellauerit eum sicut angelum Dei.

*Responditque rex & dixit ad mulierem, ne quaſo abscondas à me verbum quod ego interrogo te: & dixit mulier, loquatur quaſo dominus meus rex. Et ait rex, nõne manus Ioab tecum est in omnibus istis? responditque mulier & dixit, per salutem anime tue. Parui refert quod Hebraice habetur. *viuit anima tua domine mi rex si est ad dexteram & ad sinistram ex omnibus quæ locutus est dominus meus rex.* iuramentum siquidem est. Et vniuersa quæ subiunguntur dicta per mulierem, Hebraicam reddunt sententiam, quia seruus tuus Ioab ipse præcepit mihi, & ipse posuit in ore ancilla tua omnia verba hæc. Vt verterem faciem rei fecit Ioab seruus tuus rem hanc: dominus autem meus sapiens est iuxta sapientiam angeli Dei, ad cognoscendum omnia quæ sunt in terra.*

Et ait rex ad Ioab: ecce placatus feci verbum tuum. Legendum est, ecce nunc feci verbum hoc. Breuitati studet author, demõstrando per pronomen hoc id quod petierat Ioab per mulierem. vade ergo & reduc puerum Absalom. Ceciditque Ioab super faciem suam in terram, & adorauit & benedixit regi, benedictione gratiarum actionis. & dixit Ioab, hodie intellexit seruus tuus quod inueni gratiam in oculis tuis domine mi rex, eo quod fecit rex verbum serui sui, negotium siquidem valde arduum erat, vt pote de successore regni. Surrexitque Ioab & abiit in Ghesur: & adduxit Absalon in Ierusalaim. Dixit autem rex, reuertatur in domum suam & faciem meam non videat, ne ad memoriam meam eius præſentia reuocet luctum occisi filij reuersusque est Absalom in domum suam, & faciem regis non vidit.

Et sicut Absalon non erat vir pulcher in toto Israele, & decorus nimis. Iuxta Hebræum habetur. Ad laudandum valde. Magna laude pulchritudo eius digna describitur. à vestigio. Legendum est, à planta pedis eius vsque ad verticem eius non erat in eo macula. vestigium enim non est pars hominis. Et quando tõdebat capus suum, semel autem in anno tondebat, quia grauabat

Aa eum

eum *Cæsaries*. Iuxta Hebræum habetur. & erit à fine anni in annum quo tondebat, quia grauescebat super eum. & est vna parèthesis. Et immediate sequitur. & tondebit ipsum. proculdubio caput: de quo supra dixerat & quādo tōdebat caput. ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. Iuxta Hebræum habetur. in petra regis. ad differentiam ponderis (auararum). Nati sunt autem Absalomo tres filii, & filia vna nomine *Thamar* elegantis forma. Parui refert quod Hebraice habetur. ipsa fuit mulier pulchra aspectu. idem enim est sensus. Mansitq; Absalom in Ierusalām duobus annis dierum: & faciem regis non vidit.

Misit itaque Absalom ad Ioab vt mitteret eum ad regem, & voluit venire ad eum: misitq; adhuc secundo, & noluit venire. Et dixit seruis suis, scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem messem hordei. Iuxta Hebræum habetur. videte partem Ioab iuxta locum meum & ei sunt ibi hordea, ite & comburite ipsam igne: combusseruntque serui Absalom partem igne. sed non variatur sensus. Et venientes serui Ioab scissis vestibus dixerunt: succenderunt serui Absalom partem agri igne. Tota hæc clausula superflua est.

Surrexitque Ioab, & venit ad Absalom in domum. & dixit ad eum, cur combusserunt serui tui partem meam igne. Et dixit Absalom ad Ioab: ecce misi ad te dicendo veni huc & mittam te ad regem, discendo cur veni de Chesur, bonum esset mihi quod adhuc essem ibi: & nunc videam faciem regis & si est in me iniquitas mori faciat me. Ingressus est itaque Ioab ad regem & indicauit ei: vocauitque Absalom & venit ad regem, & incuruauit se super faciem suam in terram coram rege, & osculatus est rex Absalom. in signū perfectæ reconciliationis. Si queritur an Dauid contra legem diuinam fecerit ignoscendo Absalon. respondetur quod leges decernunt id quod regulariter est agendum secundum communem cursum iuris: singulares autem rarissimique casus prudentiæ principis relinquuntur, in quorum numero erat hoc fratricidium: existente præfertim Absalon saluo apud regem auum suum, & proinde magno imminente periculo populi vt declaratum est. Non peccauit itaque Dauid ignoscendo Absalon & reconciliando eum.

CAP.



L fuit post hæc, fecit sibi Absalom, tanquam successurus in regno. currus & equites. Iuxta Hebræum habetur. currum & equos. ad differentiam currus trahi non per equos, sed alia animalia. & quinquaginta viros qui præcederent eum. Iuxta Hebræum habetur. currentes in facie sua. Currui & equis, quinquaginta pedites adiunxit. Manèque consurgebat Absalom, & stabat iuxta introitum porta in via. Iuxta Hebræum habetur. super locum viam porta. appositue dicitur locum viam. Non fat erat Absalon succedere patri in regno, sed aspirauit ad regnum etiam viuentis patre: ad hoc enim tendebant verba blanda ab eo dicta venientibus ad regem pro causis suis. & omnem virum qui habebat negocium. Legendum est. *litem*. vt clare testatur subiunctum iudicium. vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se & dicebat, de qua civitate es tu: & dicebat, ex vna tribuum Israel seruus tuus est. Dicebatque ad eum Absalom: vide sermones tui boni sunt & recti, & qui te audiat non est tibi à rege. Et dicebat Absalon, quis me constituat iudicem in terra. Verba prægnantia sunt: nam iuncta præcedentibus (non est constitutus à rege qui te audiat) sonant Absalon cupere vt rex committeret ei auditionem causarum ad ministrandum iustitiam venientibus ab extra Ierusalem. ex intentione autem cordis tendebant ad hoc vt ipse fieret rex: sicut ad votum ei successit. & ad me veniat omnis habens negocium. Corrige & lege. *litem*. vt supra. & iudicium & iustitiam faciam ei? Et cum accedebat ad eum quispiam vt saluaret eum, extendebat manum suam, & apprehendebat eum & osculabatur eum. Faciebaturque sicut hoc toti Israeli qui veniebat pro iudicio ad regem: & sollicitabat corda virorum Israel. Iuxta Hebræum habetur. & furatus est Absalom cor virorum Israel. Ad instar furti describitur acquisitio beneuoli animi virorum Israel erga ipsum Absalon, quia vere furti species fuit relative ad regē Dauidem, clam enim Absulit corda virorum Israel à patre, traheudo illa ad se: hoc est enim furtiue surripere.

Post quatuor autem annos. Corrupta est litera: nam iuxta Hebræum habetur. Et fuit à fine quadraginta annorum. Scito prudens lector quod incertum est ad quid refertur numerus

Aa ij iste